

„cum, de quibus id speciatim nominatimque cautum est.”

Cui conformis est resolutio Sacrae congregationis Cardinalium quam refert Piaficus in praxi Episcoporum *part. 2. cap. 2. num. 8.* qua declaratur, Episcopum in edendis constitutionibus debere requirere consilium Capituli, *Licet illud non teneatur sequi nisi in casibus à jure expressis.*

VI. Casus vero à jure expressos ibidem enumerat Piaficus; atque in primis requiritur non *consilium* dumtaxat, sed & consensus Capituli in illis omnibus in quibus vertitur interesse Capituli, *Cap. fin. De his qua sunt à Pralato sine consensu Capituli.* Unde si collatio Beneficiorum pertineat tam ad Capitulum, quam Episcopum, nihil potest de illis disponere Episcopus sine consensu Capituli, *Cap. 6. Eod.*

VII. Item si agatur de notabilium aliquarum rerum ad Ecclesiam spectantium alienatione, *cap. 1. §. 9. Eod.*

VIII. Hoc ex capite in Ecclesiarum & beneficiorum unione consensum Capituli intervenire debere, non ob-

scure innuitur in *Clem. fin. De rebus Ecclesiae non alienandis.* Plura de his casibus à jure exceptis vide apud Barboiam tractatu de Canonis *cap. finali.*

IX. Notat autem Zypæus *Consule. 17. De Regularibus num. 38.* quod „in his regionibus passim negotia Episcopalia, haec & singulatum uniones, per Episcopos expediuntur non interveniente Capitulo, sed consilio Vicariatus. Usus autem, tam is notorius est tam quotidiana praxi, quam infinitis hodiernarum & veterum unionum literis ubique extantibus. Hæc ille, qui ibidem notat, consuetudinem hanc non esse planè difformem à mente Concilii Tridentini, quod in multis negotiis non integrum capitulum, sed aliquos de capitulo ab Episcopis in consilium adhiberi vult, ut infra videbitur, ubi de illis materiis tractabitur.

Praxis hæc, de qua Zypæus, nequaquam universalis est in Ecclesiis cathedralibus Belgicis: plures enim sunt, in quibus, Sede non vacante, nullus Vicariatus instituitur; omniaque negotia *Capitulariter* peraguntur; & ab Episcopis consulitur Capitulum.


TITULUS IX.

De Capitulo Sede vacante.

CAPUT I.

Capitulum Sede vacante in ordinariam Jurisdictionem Episcopi succedit.

- 1 *Clerus olim Sede vacante Ecclesiam administrabat.*
- 2 *Capitulum cathedrale Clerum representans, nunc vicces Episcopi supplet.*
- 3 *Illud procedit etiam quoad ea qua Episcopo speciali jure competunt.*
- 4 *Et generaliter tam quoad jurisdictionem contentiosam quam voluntariam.*
- 5 *Licet excludantur inferiores Pralati, non tamen Capitulum.*

I.  Um ob tyrannorum persecutiones S. Cyprianus Ecclesiam suam deserere debuisse, ad Clerum Romanum Sede vacante per mortem Fabiani Pontificis scripsit Clerus Carthaginensis, cui respondens clericus Romanus inter alia dicit: „Et cum incumbat nobis, qui videmur *Prepositi* esse, & vice *Pastoris* custodire regem, si negligentes inveniamur, dicetur nobis quod & Antecessoribus nostris dictum est, qui tam negligentes Præpositi erant: quoniam perditum non requiritimus, & errantem non correximus, & claudum non colligavimus, & lac eorum edebamus, & lanis eorum operiebamur.... Nolumus ergo, Fratres dilectissimi, & vos Mercenarios invenire, sed bonos Pastores, cum sciatis non minimum periculum imminere, si non hortati fueritis Fratres nostros, stare in fide immobiles; ne præcepsiens ad idololatriam funditus eradiceret fraternitas. Hactenus Clerus Romanus *Epist. 2.* inter epistolas Cypriani editionis Rigaltii: quæ evidentè ostendunt, curam regimenque Ecclesiarum Romanæ & Carthaginensis Pastore Eviduarum, Clero illarum respectivè Ecclesiarum incubuisse.

II. Proinde à Patrum descendit traditio, quod in Capitulo cathedrale, Clerum Ecclesiae representans, Diocesanos regimen, ipsaque Episcopalis auctoritas Sede vacante devolvatur. *cap. 11. §. 14. De majorit. & obed. cap. unico. Ne Sede vacante in VI. cap. penult. de suppl. neglig. Pralatorum in VI. & aliis multis, e quibus canonistæ hanc formant Regulam: Capitulum Sede vacante fungitur vice Episcopi, & succedit in omnibus quæ sunt jurisdictionis or-*

dinariæ, exceptis casibus in jure expressis; licet etiam non competere Episcopo jure communi, sed solum ex consuetudine, vel statuto sive indulto speciali: modò tamen competant tamquam Episcopo & Ordinario.

III. Unde facultas concessa Episcopis à Concilio Tridentino *Sess. 24. cap. 6. De reformat.* dispensandi super irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto, etiam competit Capitulo Sede vacante: „Nam licet illa facultas (ait *Garcias De Beneficiis part. 3. cap. 7. num. 40.*) Episcopo competat jure speciali dicti Decreti, tamen competit ei jure communi, & ex *jurisdictione ordinaria* ei attributa per dictum Decretum. „Quandocumque ergo vel à consuetudine, vel aliunde v. g. à Synodo Tridentina datur Episcopis aliqua facultas, extendendo, aut prorogando eorum jurisdictionem ordinariam; aut in aliquibus casibus tollendo Monasteriorum aut Capitulorum exemptionem, quæ jurisdictioni ordinariæ obstaculum objiciebat, capitulum Sede vacante succedit, uti rectè monet *Garcias dicto loco n. 48.*

IV. Procedit autem tam in jurisdictione contentiosa & necessaria, quam voluntaria & gratiosa. Vide Glossam Pragmaticam. *Tu. De concubinariis, verbo Superiores.*

V. Quin licet *cap. 20. Sess. 24. de reform.* causæ matrimoniales & criminales solius Episcopi cognitioni reserventur, exclusis omnibus inferioribus Judicibus, tamen non intelligi exclusum Capitulum Sede vacante, ex *Quaranta* monet Zypæus, quia non est inferior Pralatus, sed fungitur ipsa jurisdictione Episcopi.

CAPUT II.

In quæ Capitulum Sede vacante Episcopo non succedat.

- 1 *Capitulum in jurisdictionem ordinariam Episcopi, non extraordinariam succedit.*
- 2 *Quandonam succedat in iis qua Episcopis conceduntur tamquam Sedis Apostolicæ Delegatis?*
- 3 *Quomodo succedat in collationem Beneficiorum?*
- 4 *Quæ potestas Capituli circa alienationem bonorum ad mensam Episcopalem spectantium?*
- 5 *Non succedit in ea qua Ordinis sunt.*

6 *Potest*

6 *Potest tamen facultatem dare Ordines conferendi, & Ordines suscipiendi.*

7 *Hæc facultas quomodo à Synodo Tridentina limitata?*

8 *An Capitulum possit dare facultatem recipiendi Ordinem titulo Patrimonii?*

9 *Quandonam Sedes consecratur vacare moribus Belgii?*

I. **C**apitulum Sede vacante Episcopo tamquam totius iuræ Ecclesiae Ordinario Pastori & Judici succedit, atque in omnibus, quæ ipsi ut Episcopo competunt, vicem ejus supplet, nisi specialiter excipiantur: quæ vero Episcopo, non ut Episcopo, seu Ordinario iuræ Diocesanos, sed in alia qualitate speciali & quasi extranea attribuantur, in his Capitulum Episcopum non representat, nec ejus vices supplet.

II. Unde inferitur, quod potestas attributa à Concilio Tridentino Episcopis tamquam Sedis Apostolicæ Delegatis, defuncto Episcopo in Capitulum non transeat, uti in terminis post alios tradit *Fagnanus ad Cap. HIS QUÆ De majorit. & obedientia num. 55.* undè monens, hoc non procedere, si facultas illa Episcopis competat utroque jure scilicet ordinario & delegato; veluti si Concilium det illis facultatem procedendi etiam auctoritate Apostolica.

Et quidem si Concilium tribuat Episcopis auctoritatem procedendi auctoritate Apostolica iis in casibus, quibus ante concilium poterant procedere auctoritate ordinaria, eo casu concilium non censetur derogasse auctoritati ordinariæ; sed eidem adjunxisse auctoritatem Apostolicam.

Id perspicuum habens S. Carolus declaravit, quod si Episcopus tamquam Sedis Apostolicæ Delegatus sententiam in iis causis tulerit, in quibus ante Concilium Tridentinum Ordinarius eadem jurisdictione potestate uti poterat, non ad Sedem Apostolicam, sed ad Archiepiscopum ab illa sententia devolvatur appellatio. *In Concil. Measol. V. part. 3. cap. 11.*

Itaque Capitulum Cathedrale ad exemplum pristini Presbyterii sive Cleri, Sede vacante fungitur vice Pastoris, eique incumbit, curam Diocesis gerendo ea omnia facere, quæ Episcopus vi sui officii Episcopalis agere deberet; nisi quædam speciali jure futuro Episcopo sunt reservata.

III. Cum autem à Ministrorum electione maximè dependeat bonum Ecclesiae regimen, voluit Ecclesia, ut si ea conformiter ad jus commune & primævam ac Apostolicam disciplinam Episcopis solis competat, futuro Episcopo illa reserretur.

Hinc inter casus specialiter exceptos, in quibus Capitulum Sede vacante non succedit, præcipuum esse tradunt canonistæ collationem Beneficiorum; idque sive competat jure collationis strictè dictæ, sive jure præsentationis; sive jure proprio, sive jure devoluto: modò tamen collatio sive præsentatio sit libera, neque conjunctim cum capitulo, sed soli Episcopo competat.

Si enim collatio vel confirmatio aut institutio tantum competat Episcopo ad præsentationem Patroni Laici vel Ecclesiastici; vel collatio sit quidem libera, sed spectet conjunctim ad Episcopum & Capitulum, his casibus capitulum Sede vacante Episcopo succedit, & collationem, confirmationem vel institutionem dare potest, uti communiter docent Interpretes, & communis praxis probat.

Imò si ex aliquo privilegio, aut gratia Beneficium spectans ad solius Episcopi collationem, debeatur certa personæ, v. g. Nominato Academico, eo casu possit Capitulum aut Vicarium Sede vacante conferre, tradit *Garcias De Beneficiis part. 5. cap. 7. ubi num. 73.* docet tam collationem dici necessariam, quæ est debita certæ personæ, seu certo generi personarum. Et ideo, ait *num. 75.* quando Patronus præsentasset plures æque idoneos, possit nihilominus Capitulum Sede vacante instituire quem maluerit ex præsentatis.

Conformiter ad hanc distinctionem, Synodus Dioc.

Mechliniensis *tit. 15. cap. 6.* declarat: „Beneficia ad collationem Archiepiscopi spectantia, per Capitulum vel Vicarium non conferantur: Deservitores tamen & admittatores ejusmodi Beneficiorum vacantium licet constituantur: & præsentati à Patronis, si idonei iudicati fuerint per Archidiaconum institui poterunt.

Et capite sequenti addit: „Si quam ex novem Præbendis affectis (id est Graduatis) Sede vacante vacare contigerit; reliqui ejusmodi Præbendas obtinentes, liberè illam, debite tamen qualificato, conferre poterunt, Sedis vacatione non obstante: „Idque ideo indubie, quia harum Præbendarum collatio spectat conjunctim ad Episcopum & Canonicos Graduatos; ut infra dicitur.

IV. Ad hæc Ecclesia suo destituta Patre & Pastore, videtur ac pupillo comparatur. Quare sicut alienatio bonorum pupilli interdicta est Tutoribus & curatoribus, pariformiter alienatio bonorum Ecclesiae seu Episcopatus, sive ad mensam Episcopalem spectantium, Capitulo Sede vacante interdicta est; *Fagnanus loco citato num. 58.* & alii ibidem citati.

V. Ulterius, quia ea quæ Ordinis sunt Episcopalis dependent à charactere Episcopali, qui nec Capitulo nec singulis de Capitulo communicatur, etiam in Capitulo non transeunt quæ ab Ordine Episcopali dependent.

VI. Verum, quia non tam Ordinis, quam jurisdictionis est, licentiam imperitari subditis, ut ab alio quam Diocesano Ordines suscipiant; aut ut Episcopus in aliena Diocesi quæ Ordinis sunt exerceat, hinc est, quod Capitulum Sede vacante nequeat quidem ea quæ Ordinis sunt, per se sive Vicarium suum exercere, possit tamen vi jurisdictionis Ordinariæ per vacationem Sedis ad se devolvat concedere, ut *Synodus sui ab alio Ordines suscipiant, cap. 3. De temporib. Ordinariis in 6.* vel alteri Episcopo licentiam imperari, etiam in Diocesi viduata quæ Ordinis sunt exercendi.

VIII. Hanc tamen Capituli potestatem limitavit Synodus Tridentina *Sess. 7. cap. 10. De reformat.* ut, non liceat Capitulis Ecclesiarum Sede vacante, infra annum à die vacationis, ordinandi licentiam, aut Litteras Dimissorias, seu reverendas, ut aliqui vocant, tam ex juris communis dispositione, quam etiam cujusvis privilegii, aut consuetudinis vigore, alicui, qui Beneficii Ecclesiastici recepti, sive recipiendi occasione arctatus non fuerit, concedere.

Hoc Decreto etiam comprehendit Dimissorias pro prima Tonsura notat *Garcias De Beneficiis part. 5. cap. 7. num. 93.* non obstante declaratione S. Congregationis Cardinalium ad calcem hujus Decreti relata his verbis: *Congregatio censuit, textum hunc non comprehendere primam Tonsuram;* quia, ut monet *Garcias*, intelligenda est, non quoad prohibitionem, sed quoad pœnas in Decreto adjectas; hancque explanationem communis praxis comprobatur: notatque *Fevretius*, Capitula, Sede vacante non posse infra annum Dimissorias concedere, tamen consuetudine immemoriali essent muniti.

Restringit tamen Synodus Tridentina suum Decretum ad eos, qui Beneficii Ecclesiastici recepti, sive recipiendi occasione arctati fuerint: his enim Dimissorias etiam à die vacationis Capitulum dare potest. *Arctati* ratione Beneficii recepti dicuntur, qui obtinent Beneficium ratione cujus infra determinatum tempus tenentur ad certum Ordinem promoveri; quod tempus si infra annum à vacatione Sedis Episcopalis elabatur, poterit Capitulum ei tamquam *arctato* ratione Beneficii recepti Litteras Dimissorias concedere. Si verò nullum Beneficium habeat, sed præsentetur à Patrono ad aliquod Beneficium, quod certum Ordinem actu requirit, poterunt ei dari Litteræ Dimissoriales tamquam *arctato* ratione Beneficii recipiendi.

VIII. Post annum vero libera est potestas Capitulo, tamquam vices Ordinarii suppleti, dare Dimissorias, etiam titulo patrimonii vel penionis, si id Ecclesiae necessitas aut utilitas requirat, conformiter ad *cap. 2. Sess. 21. De*

De

De reformat. quamvis S. Congregatio videatur declarasse, Capitulum Sede vacante non posse dare Dimissorias ordinandi ad titulum patrimonii; quia uti de Regno Castellae monet Garcias loco citato nu. 93. ita & de Belgio dici potest; nimirum declarationem illam non videri receptam, uti monet Zypæus in jure novo Tit. NE SEDE VACANTE nu. 2.

IX. Vacare autem Sedes censetur, saltem de consuetudine Belgii, donec Litteras confirmationis à Pontifice obtentatas Regi sive consilio Regio Episcopus confirmatus ostenderit, illaque placetate Capitulo exhibitæ sint; atque in vim illarum per se vel alium possessionem acceperit: quod & in Hispania aliisque Regnis servari testatur Garcias De benef. part. 5. cap. 4. num. 258.

CAPUT III.

Qualis Vicarius Sede vacante hodie constitui soleat.

- 1 Olim Clerus in communi Sede vacante Ecclesiam ministrabat.
2 Hodie ex Decreto Concilii Tridentini constituendus Vicarius.
3 Synodus Tridentina Officialem & Vicarium pro uno eodemque accipit, secus obtinet in Belgio.
4 Moribus Belgii Capitulum Officialem distinguit à Vicario.
5 Officiales à Capitulo eligi non solent, sed constituti ab Episcopo continuari.
6 Decretum Concilii Tridentini moribus Belgii solè habet locum in Vicario obtinente jurisdictionem voluntariam.
7 Intra octo dies à vacatione constitui debet, vel ab Episcopo constitutus continuari.
8 Non debet esse graduatus in Jure.
9 Moribus hodiernis constituendus est Vicarius distinctus ab Officiali.
10 Possunt plures constitui Vicarii.
11 Præter Vicarium potest constitui Vicarius.

DE JURE COMMUNI JURISDICTIONEM EPISCOPI DEVOLVI AD CAPITULUM SEDE VACANTE SUPRA OSTENDIMUS; ILLAMQUE PER SE IN COMMUNI OLIM EXERCERE POTERAT, ATQUE ITA CLERUM ROMANUM VACANTE SEDE ETIAM EXERCISSE EX SUPRA RELATIS EJUS AD CLERUM CARTHAGINENSEM LITTERIS SAT MANIFESTUM EST.

II. At cum compertum esset, etiam hic non raro locum habere illud ritum: Signius expediunt commissa negotia plures, declaravit Synodus Tridentina Sess. 24. c. 16. de reformat. quod, Capitulum Sede vacante Officialem seu Vicarium infra octo dies post mortem Episcopi constituere, vel existentem confirmare omnino teneatur, qui saltem in jure Canonico sit Doctor, vel Licentiat, vel aliàs quantum fieri poterit, idoneus: si secus factum fuerit, ad Metropolitanum deputatio hujusmodi devolvatur.

Pro intellectu hujus Decreti prænotanda sunt sequentia. III. Primò, Concilium in hoc Decreto pro uno eodemque accipere Officialem & Vicarium; idque juxta usum plurium Ecclesiarum, & quidem totius Italiae; ubi referente Thomafino De Discipl. Eccles. part. 4. lib. 1. cap. 27. §. 5. etiamnum hodie Officialis & Vicarius Episcopi solet esse eadem persona; at in hisce vicinisque Provinciis solent Episcopi habere Officialem, qui contentiosam jurisdictionem, & Vicarium qui voluntariam exerceat; hicque Vicarius generalis dici consuevit.

IV. Simili modo, Capitulum Sede vacante in jurisdictionem Episcopi & contentiosam & voluntariam succedens, alterum Officialem, qui contentiosæ jurisdictioni præsit, & Vicarium generalem, qui voluntariæ, de novo creare, vel ab Episcopo creatam confirmare consuevit.

V. Et quidem quoad Officiales constitutos ab Episcopis, hi in Officio suo Sede vacante continuari consueverunt; raroque à Capitulo novi eliguntur: quin moderna praxis in Regno Galliarum obtinet, sæpius in contradictorio judicio firmata, Capitulum Sede vacante Officiales ab Episcopo institutos destituere non posse, nisi capitulum probet se esse in antiqua possessione contraria, cuius latè refert Brodeau in Notis ad Loust Litt. O. art. 2.

VI. Decretum proinde Concilii Tridentini, in quantum injungit Capitulo post mortem Episcopi constituere Officialem seu Vicarium infra octo dies, moribus nostris attentis ferè unice locum habet in Vicario generali voluntariam jurisdictionem, & curam spiritualem obtinente.

VII. Et quidem si similem Vicarium infra octo dies non constituerit, vel existentem non confirmavit, ad Metropolitanum deputatio hujusmodi devolvitur: poterit tamen lapsò ostidio moram purgare, & Vicarium eligere, quamdiu Metropolitanus manum non apposuit: uti in his partibus, etiam collatores & Patroni Beneficia conferunt, & ad ea præstant, quamdiu Superior nihil præstitit. Zypæus in jure novo Tit. Ne Sede vacante.

Hunc Vicarium vel de novo constituere, vel ab Episcopo constitutum confirmare in arbitrio est Capituli.

VIII. Cum verò in similem Vicarium generalem transire non solet jurisdictio contentiosa; sed ea apud eum, qui Officialis dicitur, relideat, etiam non requiritur, ut hic Vicarius sit Doctor aut Licentiat in Jure Canonico; quam qualitatem requirit dumtaxat Synodus Tridentina in Vicario cui exercitium jurisdictionis contentiosæ committitur; quem & propterea cum Officiali confundit.

Hinc, uti bene notat Zypæus in jure novo tit. Ne Sede vacante, videmus hic tam ab Episcopis, quam Capitulis Sede vacante in Theologia graduatos Vicarios passim constitui ad exercendam voluntariam jurisdictionem.

IX. Ulterius quia Synodus Tridentina Vicarium confundit cum Officiali, videtur attentis verbis Decreti, unum dumtaxat posse constitui à Capitulo Vicarium, qui & contentiosam & voluntariam jurisdictionem exerceat. Verùm cum notorium sit, in hisce aliisque multis Provinciis Officialem à Vicario distingui, etiam notorium est, Sede vacante præter Officialem insuper Vicarium eligi. Unde quando Synodus D. Mechliniensis voluit ut Capitulum Metropolitanum Sede vacante infra octo dies non plures Vicarios, sed unum tantum Vicarium constitueret, vel existentem confirmet juxta præscriptum Concilii Tridentini, indubie intelligi debet de illo, qui attentio harum Provinciarum usui, Vicarius dicitur; & ab Officiali distinguitur.

X. Insuper notandum, quod in pluribus, etiam Belgicis Ecclesiis consuetudine immemoriali obtineat, ut plures Vicarii Sede vacante cum eadem auctoritate & æquali jurisdictione constituantur: quam consuetudinem à Concilio non esse sublata, multis probat Garcias de Beneficiis part. 5. c. 7. n. 3; 6. referens ita à S. Congregatione responsum fuisse.

XI. Ulterius moribus nostris obtinuit, ut quemadmodum Episcopus aliquos Canonicos interdum eligit, è quibus Concilium suum, quod Vicariatium vocat, componit, ita quoque Capitulum Sede vacante, subinde unum nominat Vicarium generalem, ac insuper aliquos à Canonicis, qui Vicariatium constituunt, cujus consilio vel assensu Vicarius generalis juxta capituli deliberationem in regimine Diocesis procedat.

CAPUT IV.

A quo & qualem jurisdictionem accipiat Vicarius.

- 1 Vicarius jurisdictionem accipit à Capitulo.
2 Jurisdictio devolvitur ad Capitulum non ad Vicarium.
3 Cura & sollicitudo Ecclesia, etiam constituto Vicario, manet apud Capitulum.

4 Si Vicarius sit suspectus, Capitulum de causa suspensionis cognoscit.

5 Capitulum potest jurisdictionem Vicarii limitare.

6 An Vicarius pro libitu & arbitrio Capituli possit revocari.

7 Quid circa hoc moribus Belgii obtineat.

8 Merito solliciti sunt Canonici ut bonus constituatur Vicarius.

9 Ultra Vicarium, à Capitulo constituendus Oeconomus qui rebus temporalibus Episcopatus incumbat.

10 Fallit in Episcopatibus qui subjacent Juri Regalia.

11 Oeconomi à Capitulo deputati succedenti Episcopo rationem administrationis reddere debent.

I. Icut Vicarius Episcopi omnem suam auctoritatem & jurisdictionem ab Episcopo recipit; eamque juxta limites & formam sibi ab Episcopo præscriptos exercere debet; ita quoque Vicarius à Capitulo Sede vacante nominatus omnem suam jurisdictionem & auctoritatem à Capitulo mutuat.

II. Licet enim Synodus Tridentina voluerit à Capitulo constitui Vicarium, nihil tamen circa jurisdictionis immediatam devolutionem mutavit: sed eam in terminis juris communis reliquit: ut quemadmodum de jure communi tota ad Capitulum devolvebatur, ita & nunc devolvatur, maneatque ipsa jurisdictione radicaliter, etiam constituto Vicario, apud ipsam Capitulum; exercitium verò apud Vicarium; quod fieri mandavit Tridentinum; quia penè impossibile esset, ut, si Capitulum per se administraret, singulis Ecclesiarum necessitatibus, præsertim repentinis, & moram non ferentibus, pro debito possit satisfieri: Vide Zypæum resp. 1. NE SEDE VACANTE.

III. Hinc ulterius consequens est, uti ibidem notat Zypæus, Capitulo post nominationem Vicarii adhuc incumbere sollicitudinem Episcopalem in quam successit; neque ab ea constituto Vicario plene exonerari; quod etiam evidenter supponit epistola Clementis VIII. ad capitulum Neapolitanum, quam ex Quaranta ibidem refert Zypæus.

IV. Eodem ex fonte, si Vicarius sit in aliqua causa suspectus, providet Capitulum: atque vi jurisdictionis apud ipsum remanentis de causis suspensionis cognoscit, ut tradit Fagnanus ad Cap. HIS QUÆ DE MAJOR. & OBED. Num. 75.

V. Quin eodem ex capite, si Capitulum det Vicario limitatam jurisdictionem & auctoritatem refer vando sibi aliqua, ea Vicarius exercere non potest. Garcias De beneficiis part. 5. cap. 7. Num. 30. cui & Ecclesiarum multarum præxis consentit.

VI. Quandoquidem de ratione Vicarii esse videatur dependere à voluntate & arbitrio constituentis; sive illius cujus vices sustinet, consequens apparet, Vicarium Capituli, non secus ac Vicarium Episcopi, pro libitu & arbitrio capituli revocari posse: & ita ante Concilium Tridentinum unanimi consensu sentiebant canonistæ. At cum hodie ex præscripto Tridentini concilii, Capitulum Vicarium nominare jubeatur; adeoque nominatio Vicarii, vel non designatio non ita sit in arbitrio capituli, quemadmodum est in arbitrio ipsius Episcopi, hinc etiam penes Episcopum hodie

videatur esse liberior revocatio ipsius Vicarii, quam penes Capitulum.

Et quidem Synodus Mechliniensis decrevit, Vicarium semel à capitulo electum, vel confirmatum, postea sine justa & rationabili causa removeri non posse.

Quin & refertur declarasse Sacram congregationem, Vicarium à Capitulo nominatum removeri non posse, nisi ex causa à Sacra congregatione Episcoporum probanda: Sed, ait Zypæus in Jure novo loco citato, credo hic non obtinere eum recursum.

VII. Interim tamen, quia Vicarii generales à Capitulo electi solent constitui pro tempore vacantis Sedis; nec nisi rarissime renovari solent, ægrè mores Belgii paterentur, ut sine causæ allegatione, & probatione Vicarius officio suo destitueretur; præsertim cum ea amotio vix sine aliqua infamia nota hodie fieri posset.

Ita quippe consuetudine passim obtinuit, ut licet officia seu secularia seu Ecclesiastica sint de natura sua, aut etiam speciali statuto revocabilia; imò teneantur possessores eorum singulis annis ea ad manus constituentium resignare, nequeant tamen iis privari, nisi ex causa vera, & probata; si talia sint, quæ revocari, & mutari non solent; sed ad vitam continuari; ac ut talia vulgò reputari; adeò ut mutatio, vel revocatio sine nota infamiae fieri non posset. Vide Wamethium Consilio Canonico 301. & Dominum Christinum in Notis ad Bugnyonium De legibus abrogat. libr. 1. Satyra 1.

Interim tamen cum ex justa & rationabili causa Capitulum possit Vicarium electum vel confirmatum removere, argumentum est nequaquam obcurum, jurisdictionem penes Capitulum etiam constituto Vicario manere; licet exercitium illius juxta terminos à Capitulo præfixos, sit apud Vicarium, & non apud Capitulum.

VIII. Ex his facile quisque judicare poterit, quanta debeat esse Canonicorum cura & sollicitudo, ut prudens, peritus ac zelosus Vicarius eligatur; quandoquidem bonum vel malum regimen totius Diocesis unice penè dependeat à bono vel malo Vicario.

IX. Ultra Vicarium, cui regimen Ecclesiarum committitur, vult Synodus Tridentina, ut Capitulum Sede vacante Oeconomum unum vel plures fideles ac diligentes decernat; qui rerum Ecclesiasticarum & proventuum curam gerant.

X. Hanc tamen dispositionem Concilium limitat ad casum, ubi fructuum percipiendorum cura Capitulo Sede vacante incumbit.

Unde si Episcopatus Juri Regaliae sint subjecti, Sede vacante rerum temporalium administratio, non ad Oeconomum à Capitulo deputandos, sed ad Officiarios Regios spectare consuevit.

XI. Oeconomi à Capitulo deputati solam custodiam & curam rerum ad Episcopatum spectantium habent: unde instar curatorum nihil de fundis aut rebus Episcopatus alienare possunt: tenenturque hi Oeconomi Episcopo ad vacantem Ecclesiam promoti rationem suæ administrationis, si exigat, reddere; tamen si ex ipso Capitulo fuerint assumpti; potestque eos Episcopus punire, si in officio administrationis deliquerint: etiam si prædicti officiales, ait Tridentinum, redditis rationibus, à Capitulo, vel deputatis ab eodem, absolutionem, aut liberationem obtinuerint.

24. c. 16. De reformat.